



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

De prodigalitate. Quæstio 119.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

666 QVÆST. CXIX. ART. I.
iniuste lucratur, vel viuis vim inferendo, sicut latrones: vel mortuos spoliando, vel ab amicis auferendo, sicut aleatores.

Ad quintum dicendum, quod sicut liberalitas est circa mediocres pecunias, ita & illiberalitas. Vnde tyranni qui magna per violentiam auferunt, non dicuntur illiberales, sed iniusti.

QVÆST. CXIX.

De prodigalitate, in tres articulos diuisa.

Deinde considerandum est de prodigalitate.

¶ Et circa hoc queruntur tria.

¶ Primo, verum prodigalitas auaritiæ opponatur?

¶ Secundo, verum prodigalitas sit peccatum?

¶ Tertio, verum sit grauius peccatum, quam auaritia?

ARTIC. I.

Vtrum prodigalitas opponatur auaritiæ?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod prodigalitas non opponatur auaritiæ. Opposita enim non possunt simul esse in eodem. Sed aliqui sunt simul prodigi, & auari. Ergo prodigalitas non opponitur auaritiæ.

604
sup. q. 118
a. 3. ad 3
et inf. a.
2. et 3.
cor.

¶ 2. Præterea, Opposita sunt circa idem. Sed auaritia, secundum quod opponitur liberalitati, est circa passiones quasdam, quibus homo afficitur ad pecuniam. Prodigalitas autem non videtur esse circa aliquas animæ passiones: non enim afficitur circa pecunias, nec circa aliquid aliud huiusmodi. Non ergo prodigalitas opponitur auaritiæ.

1. 2. q. 72
ar. 3.

¶ 3. Præterea, Peccatum principaliter recipit speciem à fine, vt supra * habitum est. Sed prodigalitas semper videtur ordinari ad aliquem finem illicitum, propter quem sua bona expendat, & præcipue propter voluptates. Vnde & Luc. 15. dicitur de filio prodigo, quod dissipauit substantiam suam, luxuriose viuendo. Ergo videtur, quod prodigalitas magis opponatur temperantiæ, & insensibilitati, quam auaritiæ & liberalitati.

SED

SED contra est, quod * Philosophus in 2. & in 4. *c. 7. & li. 4. c. 1. 10. mo 5.*
 Ethicorum, ponit prodigalitatē oppositam liberalitati, & illiberalitati, quam nunc auaritiā dicimus.

RESPONDEO dicendum, quod in moralibus attenditur oppositio vitiorum ad inuicem, & ad virtutem, secundum superabundantiam & defectum. Differunt autē auaritia & prodigalitas secundum superabundantiā & defectum, diuersimodē. Nam in affectione diuitiarum auarus superabundat, plus debito eas diligēs: prodigus autem deficit minus debito earum sollicitudinē gerens. Circa exteriora verò, ad prodigalitatē pertinet excedere quidē in dando, deficere autem in retinendo, & acquirendo. Ad auaritiā autem pertinet ē contrario, deficere quidem in dando, superabundare autem in accipiēdo & retinendo. Vnde patet, quod prodigalitas auaritiā opponitur.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil prohibet eidem inesse opposita secundum diuersa: ab illo tamen aliquid magis denominatur, quod inest principalius. Sicut autem in liberalitate, quæ medium tenet, præcipua est datio, ad quam acceptio, & retentio ordinantur; ita etiam auaritia, & prodigalitas præcipuē attenduntur secundum dationem. Vnde ille qui superabundat in dando, vocatur prodigus: qui autem deficit in dando, vocatur auarus. Contingit autē quandoque quod aliquis deficit in dando: qui tamen non excedit in accipiēdo, vt Philosophus dicit in * *c. 1. 10. 5o*
 4. Ethicorum. Similiter etiam contingit, quod aliquis excedat in dando, & ex hoc est prodigus, & simul cum hoc excedat in accipiēdo: vel ex quadam necessitate, quia dum superabundat in dando, deficiunt ei propria bona, vnde cogitur indebite acquirere; quod pertinet ad auaritiā: vel etiam propter animi inordinationem. Dum enim non dat propter bonum, quasi contempta virtute, non curat vndecumque & qualitercumque accipiat. Et sic non secundum idem est prodigus & auarus.

Ad

Ad secundum dicendum, quòd prodigalitas attenditur circa passiones pecuniæ, non sicut superabundãs in eis, sed sicut deficiens.

Ad tertium dicendum, quòd prodigus non semper abundat in dando propter voluptates, circa quas est intemperantia: sed quandoque quidem ex eo quòd taliter disponitur, vt diuitias non curet. Quandoque autem propter aliquid aliud. Vt frequentius tamen, ad intemperantias declinant: tum quia ex quo superflue expendunt in alijs, etiam in rebus voluptuosis expendere non verentur, ad quas magis inclinat concupiscentia carnis: tum etiam quia non delectantur in bonis virtutum, quærunt sibi corporales delectationes. Et inde est quòd Philosophus in * libro quarto Ethicorum dicit, quòd multi prodigorum fiunt intemperati.

Ibidem à medio.

ARTIC. II.

Vtrum prodigalitas sit peccatum?

605
*infr. a. 3.
ad 1.*

AD secundum sic proceditur. Videtur, quòd prodigalitas non sit peccatum. Dicit enim Apostolus 1. ad Timoth. ult. Radix omnium malorum est cupiditas. Sed non est radix prodigalitat, quæ ei opponitur. Ergo prodigalitas non est peccatum.

¶ 2 Præterea, Apostolus 1. ad Timoth. ult. dicit, Diuitibus huius seculi præcipe facile tribuere, communicare. Sed hoc maximè faciunt prodigi. Ergo prodigalitas non est peccatum.

¶ 3 Præterea, Ad prodigalitem pertinet superabundare in datione, & deficere in sollicitudine diuitiarum. Sed hoc maximè conuenit viris perfectis implentibus quòd Dominus dicit Matth. sexto, Nolite solliciti esse in crastinum. Et Matth. 19. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Ergo prodigalitas non est peccatum.

SED contra est, quòd filius prodigus vituperatur de sua prodigalitate, Luc. 15.

RESPONDEO dicendum, quòd sicut dictum est *, prodigalitas opponitur avaritiæ, secundum opposi-

positionem superabundantiæ & defectus. Medium autem virtutis per utrumque horum corrumpitur. Ex hoc autem est aliquid vitiosum & peccatum, quod corrumpit bonum virtutis. Vnde relinquitur, quod prodigalitas sit peccatum.

Ad primum ergo dicendum, quod illud verbum Apostoli quidam exponunt non de cupiditate aequali: sed de quadam habituali cupiditate, quæ est concupiscentia fomitis, ex qua omnia peccata oriuntur. Alij verò dicunt, quod loquitur de cupiditate generali, respectu cuiuscumque boni. Et sic manifestum est, quod etiam prodigalitas ex cupiditate oritur. Prodigus enim aliquid bonum temporale cupit consequi inordinatè, vel placere alijs, vel saltem satisfacere suæ voluntati in dando. Sed si quis rectè consideret, Apostolus loquitur ibi ad litteram de cupiditate diuitiarum. Nam supra præmiserat, Qui volunt diuites fieri, &c. Et sic dicitur esse auaritia radix omnium malorum: non quia omnia mala semper ex auaritia oriuntur: sed quia nullum malum est, quod non interdum oriatur ex auaritia. Vnde & prodigalitas quandoque ex auaritia nascitur: sicut cum aliquis prodigè multa consumit, intentione captandi fauorem aliquorum à quibus diuitias accipiat.

Ad secundum dicendum, quod Apostolus monet diuites, vt faciliè tribuant, & communicent sua secundum quod oportet. Quod non faciunt prodigi: quia vt Philosophus * dicit in 4. Ethic. Dationes eorum non sunt bonæ, neque boni gratia, neque secundum quod oportet: sed quandoque dant multa illis quos oporteret pauperes esse, scilicet histrionibus, & adulatoribus: bonis autem nihil dant.

ca. 1 post
med. 10. 5

Ad tertium dicendum, quod superexcessus prodigalitati non attenditur principaliter secundum quantitatem dari: sed magis in quantum excedit id quod fieri oportet. Vnde quandoque liberalis maiora dat, quam prodigus, si necessarium sit. Sic ergo dicendum est, quod illi qui intentione sequendi Christum omnia

670 QVÆST. CXIX. ART. III.
omnia sua dant, & ab animo suo omnem tēporalium
solicitudinem remouent, non sunt prodigi, sed perfe-
ctē liberales.

ARTIC. III.

*Utrum prodigalitas sit grauius peccatum,
quàm auaritia?*

606
su. q. 127.
ar. 2. cor.
q. 9. 118
a. 5. ad 3
q. Mal.
q. 13. a. 2
ad 10. q.
4. Eth. le.
4. per 108.
q. le. 5.
fin.
e. 1. circa
prin. 10. 5

Ibidem.

q. 16. a. 1
ad 1. q.
1. 2. q. 61
a. 2. ad 1.
sc. 1. 10. 5.

*Ibid. post
quæd.*

AD tertium sic proceditur. Videtur, quòd prodigalitas sit grauius peccatum quàm auaritia. Per auaritiam enim aliquis nocet proximo, cui bona sua non communicat: per prodigalitate[m] autem quis sibi ipsi nocet. Dicit enim Philosophus * in 4. Ethic. quòd corruptio diuitiarum per quas homo uiuit; est quedam ipsius esse perditio. Grauius autem peccat qui sibi ipsi nocet, secundum illud Eccles. 14. Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Ergo prodigalitas est grauius peccatum, quàm auaritia.

¶ 2. Præterea, Inordinatio quæ prouenit cum aliqua conditione laudabili, minus est vitiosa. Sed inordinatio auaritiæ, quandoque est cum aliqua laudabili conditione: ut patet in illis qui nolunt sua expendere, ne cogantur aliena accipere. Prodigalitati autē inordinatio prouenit cum conditione vituperabili. Vnde & prodigalitate[m] attribuimus intemperatis hominibus, ut Philosophus dicit in * 4. Ethic. Ergo prodigalitas est grauius peccatum, quàm auaritia.

¶ 3. Præterea, Prudentia præcipua est inter morales virtutes, ut supra habitum est *. Sed prodigalitas magis opponitur prudentiæ, quàm auaritia. Dicitur enim Prouerb. 21. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti: & imprudens homo dissipabit illud. Et Philosophus dicit in 4. quarto Ethicorum, quòd insipientis est superabundanter dare, & non accipere. Ergo prodigalitas est grauius peccatum, quàm auaritia.

S E D contra est, quòd Philosophus dicit * in 4. quarto Ethicorum, quòd prodigus multo videtur melior illiberali.

RESPONDEO dicendum, quòd prodigalitas secundum

dum se considerata minus peccatum est, quam avaritia. Et hoc triplici ratione. Primo quidem, quia avaritia magis differt à virtute opposita. Magis enim ad liberalem pertinet dare, in quo superabundat prodigus; quam accipere vel retinere, in quo superabundat avarus. Secundo, quia prodigus est multis utilis, quibus dat; avarus autem nulli, sed nec sibi ipsi, ut dicitur in 4. * Ethicorum. Tertio, quia prodigalitas est facile sanabilis: & per hoc quod declinat ad ætatem senectutis, quæ est contraria prodigalitati: & per hoc quod pervenit ad egestatem de facili, dum multa inutiliter consumit; & sic pauper factus non potest in dando superabundare: & etiam quia de facili perducitur ad virtutem propter similitudinem, quam habet ad ipsam. Sed avarus non de facili sanatur, ratione supradicta. *

*Ibidem, 8
medio.*

*in isto a.
et q. præc.
a. 5. ad 30*

Ad primum ergo dicendum, quod differentia prodigi & avari non attenditur secundum hoc, quod est peccare in seipsum & in alium. Nam prodigus peccat in seipsum, dum bona sua consumit, unde vivere deberet. Peccat etiam in alterum, consumendo bona ex quibus alijs deberet providere. Et præcipue hoc apparet in clericis, qui sunt dispensatores bonorum ecclesiæ, quæ sunt pauperum: quos defraudant, prodigè expendendo. Similiter etiam avarus peccat in alios, in quantum deficit in donationibus. Peccat etiã in se ipsum, in quantum deficit in sumptibus. Unde dicitur Eccl. 6. Vir cui Deus dedit divitias, nec tribui ei potestati, ut comedat ex eis. Sed tamè in hoc superabundat prodigus: quia sic sibi, & quibusdã alijs nocet, quod tamè aliquibus prodest. Avarus autem nec alijs nec sibi prodest: quia nõ audet uti etiã ad suã utilitatẽ bonis suis.

Ad secundum dicendum, quod cum de vitijs communiter loquimur, iudicamus de eis secundum proprias rationes ipsorum. Sicut circa prodigalitatẽ attendimus, quod superflue consumit divitias: circa avaritiã verò, quod superflue eas retinet. Quod autem quis propter intemperantiam superflue consumat: hoc iam nominat simul

ca. 1. non
mul post
prin. 10 5

mul multa peccata. Vnde & tales prodigi sunt peiores, vt dicitur in * 4. Ethic. Quodd autem illiberalis, siue avarus abstineat ab accipiendis alienis, etsi in se laudabile videatur; tamen ex causa propter quam facit, vituperabile est: dum ideò non vult ab alijs accipere, ne cogatur alijs dare.

Ad tertium dicendum, quod omnia vitia prudentiz opponuntur, sicut & omnes virtutes à prudentia diriguntur. Et ideò vitium ex hoc ipso quod opponitur soli prudentiæ, leuius reputatur.

QVÆST. CXX.

De epijkia, seu aequitate, in duos articulos diuisa.

D Einde considerandum est de epijkia.

¶ Circa quam quærentur duo.

¶ Primo, vtrum epijkia sit virtus?

¶ Secundo, vtrum sit pars iustitiæ?

ARTIC. I.

Vtrum epijkia sit virtus?

607
instr. qu.
128. a. 1.
ad 6. et 3
d. 17. a. 4
cor. fin. et
5. Eth. le.
29.
* c. 31. nò
remoti, à
fin. 10. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod epijkia non sit virtus. Nulla enim virtus aufert aliam virtutem. Sed epijkia aufert aliam virtutem: quia & tollit id quod iustum est secundum legem, & opponi videtur seueritati. Ergo epijkia non est virtus.

¶ 2 Præterea, Augustinus dicit * in libro de vera religione, In istis temporalibus legibus, quamquam de his homines iudicent, cum eas instituunt; tamen cum fuerint institutæ, & firmatæ, non licebit iudici de ipsis iudicare, sed secundum ipsas. Sed epijkia videtur iudicare de lege, quando eam æstimat non esse seruandam in aliquo casu. Ergo epijkia magis est vitium, quam virtus.

¶ 3 Præterea, Ad epijkiam videtur pertinere, vt attendat ad intentionem legislatoris, vt Philosophus dicit in 5. * Ethic. Sed interpretari intentionem legislatoris, ad solum principem pertinet. Vnde Imperator dicit † in Codice de Legibus, & constitutionibus princip. Inter æquitatem, iusque, interpositam inter-

c. 10. 10. 5
† li. 1. 1. tit.
17. c. 7. in
ter æqui-
tatem.